ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT MIT THEOLOGISCHEN TEXTEN
Süddeutschland oder Österreich, 1473 Seite 114r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6232
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non
habeam factus sum sicut es sonans aut cymbalum tin-
niens quia sicut cimbalum alios quidem excitat se ipsum
autem consumit sic illi qui naturalem instinctum sequuntur
alios quidem suo labore ad intelligentiam veritatis evocant
sed fructum interiori se ipsos enervant. Tertium signum
est quod instinctus naturalis hominem inflat et ad magnam sui
ipsius estimationem et complacentiam instigat. Sed in-
stinctus gratie hominem quantumcumque proficiat semper magis in sua
propria estimatione ipsum deicit et extenuat. Et
ideo videmus quod sequentes instinctum naturalem tantum glori-
antur in suis propriis conceptibus quod nullum ei similem ar-
bitrantur. Sed illa gloriatio vana est quia nullum fructum
eterne beatitudinis assequitur propter quod bene scribitur Job. x.
Gaudium hypocrite ad instar puncti. Sed econtra gau-
dium iustorum est tamquam lux procedens et crescens usque
ad perfectam diem eternitatis Proverbiorum iiii. Tertium signum
est quod instinctus naturalis facit hominem tepescere in co-
natu et fervore proficiendi et minuitur in ipso
divine dilectionis fervor. Sed instinctus gratie auget in
homine proficiendi conatum et etiam ardorem divine di-
lectionis. Et ideo videmus in hominibus naturalem instinctum